

dicato, a nobis esse cognoscibilem. Apostolus ad Romanos c. 2. 20. docet; *Per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, &c.* En divinitas cognoscibilis, omnipotentia quoque, aliaque pariter Dei attributa; ac per consequens Deus a nobis cognoscibilis sub aliquo ejus prædicato. Regius etiam Pfalter psal. 55. 10. canebat; *in quacunque die invocavero te, ecce cognovi, quoniam Deus meus es.* Ubi, vel ex beneficiis a Deo acceptis ejus cognoscebatur omnipotentia, liberalitas, beneficentia, charitas; vel ex operibus suis ejus cognoscebatur perfectio. Item Joannes epist. 1. c. 4. 7. *Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum; quoniam Deus charitas est.*

Probatum etiam ex Patribus; Theophilo Antiocheno lib. 1. ad Autolyicum; *Ut anima in humano corpore non videtur, invisibilis existens, verum ex corporis motu cognoscitur: Sic nec Deus humanis, nec corporeis oculis videri potest; ceterum ex providentia, qua singula ordinat, suisque operibus aspicitur, & apprehenditur.* Eusebio Cæsariensi de præparatione evangelica lib. 3. c. 2. *Vide, quam vera, quam simplices, integraque nostræ opinioniones sunt: Primam enim omnium de Deo opinamur, quod ipse perfectissimus, atque beatissimus sit, sibi, atque cæteris sufficiens: omnium ipse rerum principium, ipse medium, ipse finis; operibus notissimus, atque manifestissimus; substantia penitus invisibilis, cui simile nec videre, nec cogitare quicquam possumus.* Nazianzeno orat. 49. *Certe hoc Deus est, quod cum dicitur, non potest dici; cum æstimatur, non potest æstimari; cum definitur, ipsa definitione crescit.* Et Nysseno orat. 1. *Noli corporeis illum cogitationibus amplecti, aut mente tua circumscribere. Ea est magnitudine, ut comprehendi circumscribique nequeat. Magnum cogita, & huic magno plus etiam, atque etiam adde, quam cogitasti, atque ita exple cogitationem tuam. Neque enim, quæ infinita sunt, unquam capiet.* In quibus locis si comprehendere Deum nobis dicitur impossibile, illum per consequens cognoscere non supponitur impossibile.

Suffragantur etiam Rationes. I. Cognoscimus multa prædicata Dei, ut Dei; quæ scilicet nulli alteri a Deo convenire possunt, & præsertim prædicatum essentia; ut in sequenti Dissertatione videbitur: ergo potest a nobis cognosci Deus sub aliquo proprio ipsius prædicato. II. Cum Deus a nobis cognoscitur existens, cognoscitur certe sub ratione aliqua ipsi soli, & non alteri

convenienti; etsi confuse non clare cognoscatur: ergo sub hac ratione, quæ quidem est prædicatum proprium Dei, cognoscibilis a nobis est Deus. III. Quia Gentiles Philosophi definiunt Deum, etsi non rigorose, sub aliquibus tamen prædicatis, quæ Deo, ut Deo, conveniunt; ut nuper in hac præfata Dissertatione vidimus: ergo naturaliter sub aliquo prædicato proprio ipsius a creato intellectu Deus est vere cognoscibilis.

Opponere nihilominus nobis possunt I. ex Scripturis; Psal. 96. 2. *Nubes, & caligo in circuitu ejus; Psal. 17. 12. Posuit tenebras latibulum suum: Proverbior. 25. 27. Qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria.* Quibus verbis aperte ostenditur, non posse nos per cognitiones nostras Dei quidditatem attingere. II. Ex Patribus, Dionysio Areopagita, vel quocunque alio, qui sit suorum Operum Auctor, lib. 1. de divinis nominibus; *Deum esse seclusum omni cognitione, & superiorem omni sententia; quod aliis in locis etiam repetit; Zenone, Episcopo Veronensi, ser. 1. de Genesi; Ex se est, quod est; solus sui conscius, quantus est, qualis est; Hilario lib. 1. de Trinitate; Deus invisibilis, ineffabilis, infinitus, ad quem & eloquendum sermo sileat, & ad investigandum sensus hebetetur, & comprehendendum intelligentia coarctetur.* III. Rationibus; I. Quod est simplex, nullas habens partes, vel secundum se totum, vel secundum nihil, repræsentatur; Deus est summe simplex, & actus purus, ex una parte; ex altera non secundum se totum repræsentatur, aliter comprehenderetur: ergo secundum nihil. II. Deus, ex communi omnium, tum Sanctorum Patrum, tum Theologorum, sententia, est ineffabilis: ergo est incognoscibilis. Consequentia sequitur; si enim cognosceretur, saltem secundum rationem, illam, secundum quam cognosceretur, etiam nominaretur. III. Dei essentia, vel in se cognoscitur, vel in creaturis? Si in se? Ergo intuitiva erit cognitio. Si in creaturis? Ergo non conceptu proprio cognoscitur.

Respondemus ad Scripturas, & Patres, vel illos loqui de cognitione, quæ sit comprehensiva; vel, si non loquantur de cognitione, quæ sit comprehensiva, loqui de cognitione distincta, & clara, non autem de obscura; ita ut sit sensus, quod non possit Deus a nobis cognosci cognitione non obscura, bene autem possit cognosci cognitione non confusa cum creaturis; per quam scilicet cum creaturis confundatur.

Ad